I. F.

LYCURGI
LEGUMLATORIS SPARTANORUM
INSTITUTA
NONNULLA,

In Actu Gymnasii Magdalenæi
OB PRÆMIORUM DISTRIBUTIONEM
SOLENNI,
Anno Christiano M DC LXXII.
a. d. X. Novembris, hor. ab VIII. matut.
EXERCITIIS DECLAMATORIIS
A DELECTA JUVENTUTE
explicanda,
procurante
M. JOHANNE FECHNERO.



VRATISLAVIÆ,
In Hæredum BAUMANNIANORUM Typographiâ
exprimebat JOH. CHRISTOPH. JACOBI.



Lectoribus
Salutem dico plurimam.

TAm illustria masculæ virtutis documenta dederunt quondam Spartani, ut qui illa ex antiquitatis eruditæ monumentis recitari audit, in maximam rapiatur admirationem. Nam civium bonorum officia non ore, non inani verborum strepitu crepabant, sed opere consummato exequi & ope strenuâ patriæ salutem tueri unicè contendebant. Frugali victu & jugi labore ad asperiora belli studia ab ipsis incunabulis & lacte materno enutriti ac corroborati, præsentissimum mortis, pro adserendâ civitatis suæ incolumitate, periculum subire neutiquam formidabant. Et ut ipsorum generoso incocta honesto pectora, quæ sola erant urbis Spartanæ mœnia, non corrumperentur, duram à pueris adsveti pauperiem pati, blandas illas voluptatum pellecebrosarum altrices divitias excelso ab se spernebant animo, ac merces peregrinas multis redemtas preciis in contubernium suum non admittebant. Cumque belli potissimum spectarent gloriam, adspernabantur omnes eas cæterorum Græcorum disciplinas, quæ juvenum animos emasculare, & à verâ virtute, id est fortitudine (hanc enim in principe virtutum censu reponebant) ad ociosam ostentationem & ignaviam industriæ pestem traducere videbantur. Litteras quidem discebant, sed ad usum; non scholæ, sed vitæ discendum, providenter arbitrati. Ideo ludicras artes, quæ tantum ad oculos, aures & mentes oblectandas faciunt, cum professoribus illarum urbe suâ in perpetuum exulare jubebant. Nihil loci apud illos erat Sophistis nugivendis, qui extemporali loquentiâ

&

& argutâ dicacitate non laudanda laudantes, fucum faciebant populo. Nihil dabant ocii pantomimicis histrionum spectaculis, in quibus furta, stupra, adulteria aliaque scelerum monstra, quæ Leges vetant, publicum in proscenium turpibus in personis contuenda producebantur: Scilicet his juventutem in vitium flecti lubricam facilè corrumpi sciebant. Sic omnes eorum mores, omnes actiones, omnia studia genuinam spirabant & viris dignam severitudinem, quâ etiam jucunda & voluptati concessæ destinata temperare norant. Venerem non nudam & uti salo natali emerserat, sed instar Palladis pingebant armatam. Musicæ illud genus molle, quod eroticâ modulatione lumbos ad saltationem Jonicam suscitat, penitus aversabantur, heroicos solùm numeros hymnosque, qui acri sono animos ad pugnam fortiter ineundam instimulant, approbantes. Hujusmodi erant carmina Tyrtæi, quibus viri strenui, qui pro Spartâ occubuerant, celebrantur beati. In summâ seriam ubique gravitatem exerebant, & virtutem germanam non supercilioso vultu, sed inclytis gestis præbebant spectandam, atque ex his nullum præter honestam famam expetebant operæ precium.

Quis itaque non miretur talia ac tanta præstitisse illos rudes artium Atticarum & exoticarum Lacones, qui nec austeræ Stoæ præceptis, nec Socraticis sermonibus erant imbuti? Nimirum ab iis, à quibus fuerant nati, cupiebant erudiri. Quæ autem erant illa acroamata, quæ à parentibus subinde excipiebant juniores? Hæc scilicet: Legibus patriis præstate obsequium, parete Ephoris & cæteris magistratibus, colite senes, ut alteros parentes, patienter tolerate labores, constanter perferte pericula, domi frugaliter vivite, in bello rem fortiter pro patriâ gerite, in prælium contra hostes prodite vel victuri vel morituri. Hæc inquam, erant acroamata Laconica, ex Lycurgi Nomothetæ gravissimi prudentissimique Rhetris sive Institutis derivata. Hic unicè intentus Reipublicæ saluberrimis Legum præscriptis muniendæ ac stabiliendæ, ad educationem juventutis rectè & exactè formandam firmandamque præcipua consilia, præcipuas curas conferebat. Non enim ignorabat Lacenum hic cordatissimus, ex pravâ institutione pravos pueros, pejores adolescentes, pessimos viros evadere, & sic malorum civium corruptissimos mores grandibus civitates integras mactare malis. Quamobrem

patriæ

patriæ ſuæ incolumitati benè conſultum cupiens, teneram illam ætatem non in deliciis, quæ virtutis generoſæ peſtes certisſimæ, exigendam frangendamque, ſed artè & contentè cenſebat habendam. Nam pueros gremio materno quaſi ereptos in rus ablegabat, ut inibi vitam voluptatum molliculárum expertem agentes, ac frugali victu alti, pabula vitiorum, opes opimas reſpuerent, asſiduisque laboribus edurati ad patientiam & infractam in ærumnis periculisque ſuſtinendis conſtantiam, virile corporis ac animi robur maturè colligerent. Ita fore credebat, ut juventus Spartana ex agrorum reditu honeſtam, quanquam exilem, quæſtum capeſſens, paupertatem fortitudinis inſtigatricem à teneris coleret ungviculis, & divitias peregrè terrâ marique conquiſitas neglectim haberet & contemtim. Quare peregrinari juvenes & commerciorum gratiâ exteras adire nationes, ne peregrinis cum opibus peregrinos mores inferrent, ſeriò prohibebat. Rure demum cum virilem habitum jam induisſent, in urbem revocatos in palæſtrâ armis ſubinde tractandis exerceri & præludiis agonalibus ad bellum párari jubebat. Non enim cives tantum bonos & incolas induſtrios, ſed & ſtrenuos bellatores fortisſimosque propugnatores Lacedæmon tot undique hoſtibus æmulisque, qui libertati ejus inſidiabantur, cincta poſtulabat; poſtulabat, inquam, non homines ſolum, ſed viros; non Mercuriales, ſed Martiales, qui contra quoscunque adverſarios arma ſemper haberent in mundo, in promtu, ut in aciem progresſi, cum iisdem non ad portas civitatis, ſed aperto in campo collatis confligerent ſignis, è pugnâ infatigabili non receſſuri, niſi hoſtium vim vi aut victrice, aut vindice aris & focis patriæ defendiſſent. Ac ne receptaculum ex acie profugientes & ignaviæ aſylum timidi reperirent, idem Lycurgus urbem non ſaxeâ mœniorum mole, ſed vallo mediocriter, ſaltim exaggerato voluit præmunitam. Nam quid proſunt propugnacula eductis in altum muralium turritarumque minarum ſubſtructionibus coronata, niſi ſufficienti & numeroſo militum fortisſimorum præſidio fuerint inſtructa? Scilicet ab hoſtibus ſubitaneo impetu intercepta & occupata certiſſimum inferunt exitium regioni, cujus in tutelam olim erant condita: quod priorum ſeculorum memoria & noſtri quoque temporis experientia facit teſtatisſimum. Spartani itaque armati adverſus hoſtes ibant, non expectantes illorum

rum ad urbem accessum; Ibant autem non tanquam in bellum, sed in prælium, patriæ salutem, quæ suprema lex est bonis civibus, omni virium contentione propugnaturi. Tales verò ut essent illi, id est fortissimi civitatis suæ defensores, provida mens Lycurgi procuraverat, dum virtutis bellicæ obstacula divitias & delicias molles eos procul habere jussit. Eodem modo & Romani illi antiquissimi, quibus horrida paupertas in precio adhuc erat, duces, qui sterile Pupiniæ solum versabant, ab aratro evocabant ad dictaturam, & confecto velociter & feliciter bello, in rus suum colendum dimittebant triumphales illos aratores. Horum verò ope magis magisque Romanæ crescebant vires, quæ deinceps cum Asiâ devictâ Attalicæ opes in urbem essent invectæ, cumque illis luxus divitiarum depopulator, decreverunt paulatim tandemque barbarorum invasionibus fuerunt obtritæ. Idem accidit Lacedæmoniis, cum Lysander gente, non mente Spartanus, & non minus perfidiâ, quam fortitudine notus, occupatis Athenis, pecuniam Atticam in civitatem intulisset: Tunc enim excussâ frugali paupertate, & opibus illius in locum cum deliciis receptis, animi illi Martiales langvescere, viresque Spartanæ, quæ prius invictæ videbantur, à Thebanis primùm in pugnâ Leuctricâ attritæ, ac demum à Regibus Macedoniæ dejectæ expirarunt. Hunc eventum sortita est Respublica illa clarissima, quæ quamdiu à Lycurgo Leges latas obsequio pertinaci servavit, per septem fermè secula viris & viribus fortissimis floruit incolumis, & contra quoscunque hostes perstitit insuperabilis.

Leges hasce Lycurgi Plutarchus Græcarum antiquitatum Stator nobilissimus partim in rapsodiâ de Vitâ Lycurgi, partim in libello de Institutis Laconicis exposuit & eruditæ communicavit posteritati. Præcipuas verò illarum & selectiores, quæ juventutis exactam institutionem potissimum spectant, Justinus Lib. 3. Epitomes Historicæ cap. 2. & 3. recensuit: Quæ dignæ nobis sunt visæ, ut in eisdem explicandis commendandisque Adolescentes quidam & alumni Gymnasii nostri delecti ingenii & eloquii viriculas periclitarentur. Idque Die *crastinâ, Deo clementer annuente, in Actu declamatorio, quem Magnificus Amplissimusque Senatus noster ob præmia, juvenilis & puerilis industriæ tam excitandæ, quam remunerandæ gratia distribuenda, solennem esse voluit, exequi meditamur, producturi*

nonnul-

nonnullos ex discipulis nostris, qui de Institutis Laconicis, non quidem Laconicâ vel Atticâ, sed simplici & contractiori Svadâ conceptas & sine manuductione praeceptoris ab ipsis elaboratas Declamationes recitabunt.

A Vobis itaque Viri Magni, Clari, Boni; Domini & Patroni colendissimi, Fautores & Amici honoratissimi, eâ quâ par est, observantiâ contendo, ut Cras horâ in frontispicio indictâ Acroaterium Gymnasii nostri invisere, ac honorificâ suâ praesentiâ & proclivi in auscultando faventiâ Declamatores nostros animare non dedignemini. Mea quidem tenuitas aequivalens officiosae promtitudinis hostimentum reddere nescit: Attamen obsequii, observantiae & amoris reciproci studium in me langvescere non patiar, Deum Opt. Max. suppliciter orans, ut Vos tempestate hac turbulentissimâ sub alâ potentiae suae immensae incolumes incolumi in civitate conservet, & â totâ Silesiâ clades bellicas, quibus vicini populi infestantrr, clementissimè avertat. P. P. A. C. 1672. Die Novembris 9. quo Annum aetatis meae 68. claudo, cras, Deo volente, 69. ingressurus.

Prodibunt ad dicendum.

I. Prologus, *Christophorus Güssaw Vratislaviens.*

II. Declamatores, expositurì Instituta quaedam Lycurgi, â Justino L. 3. c. 2. & 3. enotata & in formam Thematum redacta.

1, Plus apud bonos pietatis jura, quam omnes opes valere debent:

Sigismundus Wihl/*Goldbergensis.*

2. Leges in tutelam Reipublicae â Magistratu sunt instituendae:

Balthasar Stephani, Bregensis.

3. Nihil Lege ullâ in alios sancit Magistratus

bonus

bonus, cujus non ipse primus in se det documenta:

Johannes Seffnerus, Vratislaviensis.

4. Populus in obsequia Principum sedulò formandus est:

Johannes Zennerus Fürstenwald. Marchiacus.

5. Parsimonia omnibus, præsertim juvenibus seriò mandanda est:

Zacharias Regius Vratislaviensis.

6. Laborem militiæ assidua frugalitatis consvetudo faciliorem reddet:

Johannes Küntzelius, Leobergensis.

7. Magistratui custodia Legum & administratio Justitiæ est demandanda:

Christianus Bannerus, Olsenas.

8. Juvenes non amplius unâ veste toto anno utantur, nec quisquam cultior, quam alter, progrediatur:

Johan. Albertus ab Heigel.

9. Pueri puberes non in forum, sed in agrum deducantur, ut primos annos non in luxuriâ, sed in opere & labore agant:

Johannes Neunhertz/ *Schmidebergensis.*

10. Vir-

10. Virgines sine dote nubant, ut uxores eligantur, non pecuniæ:

Georgius Memmigerus, Vratislaviensis.

11. Maximus honor non divitum, sed pro gradu ætatis senum esse debet:

Christianus Ernestus Creutzmannus, Strelensis.

12. Urbes potius fortium virorum viribus, quam muris sunt muniendæ:

Daniel Fritschius, Vratislaviensis.

III. Pueri Instituta alia Laconica à Plutarcho congesta recitaturi,

Zacharias Strauß/ *Vratisl. Johannes Gottlieb Etzlerus Vratislav.*

Gotofredus Hahn/ *Schwidn. Zacharias* Baudeman/ *Vratislav.*

IV. Puelli Themata à superioribus exposita Germanicè versa pronunciaturi,

Johan. Georgius Hoppe/ *Vrat. Georgius Fridricus* Wende/ *Vratisl.*

V. Epilogus, *Johan. Fridricus* Lanckner/ *Schotk.*

His ita expeditis Magnifici & Amplissimi Senatus Præmia, singulis, qui dixerunt, tribuentur.

